ORATIO SARISBVRIÆ HABITA

VIII. Id. Iun.

CVM REVERENDVS IN CHRISTO Pater HENRICVS permissione divinâ Episcopus Sarisburiensis gradum Doctoratus in Theologiâ susciperet, ex decreto *Convocationis Oxoniensis.*

Authore T. HOLLAND *Theol. Doct. & Profess. Regio.*

OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius.

M. D. XCIX.

De nonnullis Doctoris q. hui.

ORATIO SA-

TISBURIÆ HABITA

BIBLIOTHECA BODLEIANA

ZACHARIAE φιλαλήθη & diviniloquo (Viri Graviſſimi) oſtendit Dominus (vt liquet cap. 3. ejus prophetię) in cœlitùs miſſâ viſione, [a] Iehoſuam ſummum Sacerdotem coràm Angelo Domini ſtantem, ſordidis veſtibus indutum, aſtante ei à dextra Satanâ, vt adverſaretur ipſi, Hebraicè לשטנו. Angelus verò ille Domini qui [b] cap. 1. ab hoc Propheta viſus eſt inter myrteta ſtare, cap. 3. Prophetæ Malachiæ dicitur [c] *Angelus Teſtamenti*, & *Angelus fœderis*, nempe *Chriſtus Ieſus*, [d] Caput Angelorum & hominum. In illa viſione Prophetæ in hoc cap. oſtenſâ tria facit, 1. *Satanam increpat*, 2. *Seraphinis ſibi miniſtrantibus mandatum dat*, 3. *Iehoſuam ſummum Sacerdotem admonet*. Satanam autè primo in loco ita alloquitur, [e] *Increpet te Iehova, Satan; increpet (inquam) te Iehova, qui Hieroſolymam elegit*. Vel vt Ionathę Targum explicuit, [f] *Increpet te Iehova, cui placuit maieſtatem ſuam in Hieroſolyma collocare*. His qui ſibi fuerunt à miniſterio præcepit, vt [g] ſordidas veſtes Pontifici detraherent, deinde vt ſplendidis ipſum indumentis veſtirent, & cidarim mundam capiti ipſius imponerent. Iehoſuam verò Sacerdotem his verbis conteſtatur; [h] *Si in viis meis ambulaveris, & cuſtodiam meam cuſtodieris; tu quidem iudicabis eos qui in domo Sanctuarij mei mihi miniſtrant, & in mortuorum [i] reſurrectione reſuſcitabo te, pedeſq; veloces inter Seraphin iſtos ambulantes tibi donabo.*

Admirabilis iſta viſio ſanctiſſimo Prophetæ à Deo. Opt. Max. revelata ideam ſit hujus negotij, & orationis à me hoc tempore habendæ perfectus canon, & cynoſura quam tanquam ducem & Ariadnes filum ſequar, ſecundùm illud Pindari,

---ἀρχομένῳ δ' ἔργῳ θεὸν
χρὴ θιμεῖν πλαυτῆρα.

Et licèt ea omnia quæ in hac prophetica revelatione continentur,

[a] Zac. 3. 1.
[b] Zac. 1. 8.
[c] Mal. 3. 1.
[d] 1. Col. 1. 18.
[e] Zac. 3. 2.
[f] Ionath. Tar. in cap. 3.
[g] Zac. 3. 4. & 5.
[h] Zac. 3. 6. & 7.
[i] Targ. Iona.
[k] Inchoato operi frontiſpicium oportet imponere ſplendidum.
[l] Pind. Od. 6. Olimpia.

nentur, instituto meo prorsus non conveniant; cùm ex his tamen quedam delibari possint huic tempori non malè concinentia, ab illo autem opere quod nũc (Deo propitio) peragendum est non valdè aliena; date veniam (Auditores) vt cæteris prætermissis illa sequar, quæ & orationi meæ coaptentur, & officio sint consentanea, & rei gerendæ dignitati ex lege Academicâ percommodè serviant.

Misit nos hodie ad te (Reverende in Christo Pater) Academia Oxonienſis, vt honorificis Doctoris in Theologia insignibus te ornaremus. Academia Oxonienſis, omnium bonarum artiũ officina; ex istis quatuor Academijs vna, quæ in [m] Clementinis nobilitata est; quæ vniversam Ecclesiam Catholicam, per orbem terrarum diffusam non sect. pietatis ac religionis salutaribus aquis fertilem facit, ac olim [n] fons ille Paradisi, qui à Mose Gen. 2. describitur, per quatuor flumina ex vno fonte manantia, hortum Eden Dei manu consitum rore, aquâ, semine fœcundè irrigavit, irrigatione fœcundam fecit, fœcunditate ditavit & quasi inebriavit, de quo ita in Græco carmine,

[o] Κρίνω δ' ἐξείης πουλυς ῥέον ὕδατι λευκῷ,
Πλησίαι ἀλλήλων τετραμμεναι ἄλλυδις ἄλλη,
Τῶν δ' γε πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες.

Academia (dico) Oxonienſis nos ad te misit, quę (vt scriptũ est in Lib. Procuratorum) [p] omnium Latinorũ nunc exstantium studiorum fundatione prior est, scientiarum pluralitate generalior, veritatis Catholicæ professione firmior, privilegiorum multiplicitate prestantior. Academia Oxonienſis, quæ propter cœli & soli amœnitatem [q] *Bellosita* olim dicta est, propter bonarum artium studia quæ illîc olim floruerunt, & adhuc per Dei gratiam florent *Athenæ Angliæ* Iure nominari potest, [r] *Mischna Kiriah Sepher*, [s] πόλις τ' γραμμάτων, *Civitas literarum*, *Theologicæ professionis Metropolis*. Academia (inquam) Oxonienſis, olim mater tua, nos ad te misit, vt te filium suum Doctoris in Theologia insignibus ornaremus. Et licèt per Dei gratiam

Episco-

[m] De Magist. lib. 5. tit. 1.
[n] Gen 2. 10.
[o] Fontes verò seriatim quatuor fluebant aquâ limpidâ Vicini inter se aliò atq; aliò, quorum omnes quidẽ fluvij inundant scaturientes. Hom. Cento.
[p] Lib. Procur. Oxon. Acad.
[q] Histor. Oxon. Li. Antiq. Oxon.
[r] Paralip. li. 2. cap. 8. ver. 22. Chal. בבית מדרשא in domo doctrinæ. Græc. μαθητῶν. Latin. Secunda. vulg. Tẽ. 2. Reg. 22. 14.
[s] Iudic. 1. 11. [t] Naziã. ἐπὶ τὰς τῶν γραμμάτων Βασιλ..

Episcopus sis, qui olim (teste Suida) apud Græcos ex vi nominis dictus est & [n] φύλαξ, & ἐπόπτης & κατάσκοπος: Et licèt à Reverendissimo Archiepiscopo & ab aliis ipsi consentientibus Episcopis, Senioribus, & Senatoribus Ecclesiæ nostræ, per [x] *manus impositionẽ*, & precũ effusionẽ officiũ hoc susceperis: Et licèt Serẽissima Regina te vnicè huic sedi Episcopali præesse voluerit, & speculis hisce Sarisburiensib⁹ te cõmẽdaverit, vt observares quomodo vnusquisq; in ministerio Ecclesiastico per hãc diœcesin se gerat, tum quoad fidei puritatem, tum quoad morum probitatem: Et licèt initiatus sis his cærcmoniis quibus (omni superstitione præcisâ) homines tui loci & ordinis initiari debent & solent: Et licèt Episcoporum ordo [a] in locum Apostolorum successerit, adeò vt eadem ferè sit dignitas Episcopi, quæ fuit olim Apostoli: Et licèt cathedra tua (quia primus es inter huius ἐπαρχίας Presbyteros (teste Hieronymo ad Evagrium) [b] alijs sit sublimior; nec presbyter tecum

[c] —ἐμοίης ἔμμορε πατρός.

vt est apud Homerum (cùm Episcoporum ordo, teste Epiphanio, sit [d] πατέρων γεννητικὴ τάξις, πατέρας δὲ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, sed Presbyterorum τάξις οὐ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ πατέρας καὶ διδασκάλους, sed τέκνα: et cùm presbyterorum ordo non habeat potestatem siue χειροθεσίαν τὸ χειροτονεῖν, quod potest Episcopus:) Et licèt quia à Deo legationem acceperis [e] *Angelus* dicare, & propter Altitudinẽ tui loci [f] *ciuitati in monte ædificatæ* assimulatus sis, ovium curâ [g] *pastori*, excubijs [h] *speculatori*, fide [i] *dispensatori*, luce [l] *oculo*, salubri reprehensione [m] *sali*, vitæ puritate [n] *soli in cœlo lucenti*, qui dicitur *Oculus mundi* teste Ambrosio; hoc tamen officium erga te nostrum pergrato animo amplecti debes, tum propter matris tuæ Academię erga te benevolentiam, tum propter gradus ipsius dignitatem. Matris tuæ Academię benevolentia erga te, & στοργὴ sive nativus affectus ex eo nunc percipiatur, & clarè intelligatur, quòd te & longè, & diu ab ipsa peregrinantem, Ecclesiam Dei in diversis Angliæ locis ædificantem,

[n] Suid. custos, speculator, vigil.

[x] 1. Tim 4.14.

[a] Hiero. in ep. ad Evagr. 85.

[b] Hier. in Miche. cap. 2. Idẽ Epist. ad Heliod.

[c] Parem sortitus est gloriã Iliad. a.

[d] Epiphan. Hæres. 25. Ordo patres generans; Patres .n. gignit Ecclesiæ.

[e] Mal. 2. 1.

[f] Apoc. 1, 20.

[g] Mat. 5. 14.

[h] Pet. 5. 2.

[i] Act. 20. 28.

[l] 1. Cor. 4. 1.

[m] Mat. 6. 6. Mat. 5 3.

[n] Ambros. Hex. lib. 4. die. 4. cap. 2.

tem, attendentem lectioni, orationi, concionali exhortationi (quo genere doctrinæ nihil est vtilius, nihil homine Theologo dignius) post aliquot iam tandem annorum curricula respicere non sit oblita. Nec tantùm quòd retrò oculis suis conversis te aspexerit (hoc enim persæpè faciunt & inimici) sed quòd retrò aspiciendo memoriam sui amoris erga te suum filium renovaverit; quòd ex huius amoris renovatione, summo (quem ipsa in aliquem conferre potest) honore te dignum existimaverit; quòd gradum Doctoris in Theologia tibi non tantùm ex charissimo suo affectu cõcesserit, sed etiam ad hanc Civitatem ab Oxonia longe disiunctam gradum illum ad te miserit; quòd per reverendum suum Vicecancellarium, per Professorem in sacra Theologia & Regium, & suum, per Venerabiles Procuratores, per Tabellionem publicum gradum hunc ad te miserit; quòd instrumento publico nobis authoritatem dederit, vt in hac magna conclavi te perinde cæremoniis nostris inauguraremus, & Doctoris in Theologia ornamentis insigniremus, ac si essemus Oxonii, in domo Convocationis, intra ædem B. Mariæ, in præsentia Magistrorum regẽtium & non regentium. Adeo vt palatio huic tuo Episcopali idem applicetur, quod olim cecinit Poëta mellitissimus in eleganti illa quæ scripta fuit à Penelope ad Vlyssem epistolâ;

Ovid. epist 1. *Hâc ibat Simois, hîc est Sigëia tellus,*
Hîc steterat Priami regia celsa senis.

Ita licèt mero non possit depingi, tamen digito potest demonstrari, quòd hîc sit domus Convocationis, illic ædes B. Mariæ, in medio cathedra Vicecancellarij; hinc Procuratorum sedes, inde venerabilis concessus virorũ doctissimorum, quo tanquam coronâ cincti sumus, theatrum Academię ampliſſimum (perinde ac si in Comitiis Academicis versaremur) quodam modo nobis referat. Ex his omnibus intelligas (Reverende Pater) quo te colat affectu Academia, quã tibi bene cupiat, quanto cum amore te amplectatur, quàm

sincerè

ſincerè tibi benefacere conata ſit.

At fortaſſe dignitatis oblatæ minor eſt claritas, quàm vt viro in Pontificia dignitate conſtituto offeratur, & Epiſcopo tanti nominis deferatur. Fateor equidem in Eccleſia Epiſcopatum maiorem eſſe Doctoratu, & Doctoratum minorem eſſe Epiſcopatu; deinde nonnullos hodie ſentire nó ignoro, quòd gradus Academici Miniſtris Evangelii minimè conveniant. Hos ego ſcrupulos citò vobis eximam, vni ſatisfaciendo per conceſſionem, alterum refellendo per inficiationem. Concedo equidem libenter maiorem eſſe dignitatem Epiſcopatus quàm Doctoratus; nego tamen Miniſtris Evangelii non convenire Doctoris in Theologia gradum. Epiſcopatus in Eccleſia maior eſt Doctoratu: quid ex eo colligitis? ergo non ſuſcipi debere ab his qui Epiſcopi conſtituti ſunt in Eccleſia Doctoratum? Ex quo loco deprompſiſtis hoc argumentum (viri graviſſimi) oſtendite. Marcus Tullius de quodam homine inſulſo & inepto ita olim ad Atticum ſcripſit, *Ille Rhodi potiùs molis quàm Molonis dedit operam*: ita ego de eo qui ſic ratiocinatur verè dicere poſſum; hic neq; in Academiis vnquam vixit, nec Academias vidit, nec artium humaniorum ſuavitates & ſenſus deguſtavit, nec vt ſapiens ille apud Poëtam

Cic. ad Attic. lib. 2. epiſt. 5.

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Multorũ hominum vidit vrbes & mentem novit. Odyſ. a.

Et ſtultior illo eſt de quo in Margite cecinit Homerus:

Τὸν δ' οὔτ' ἄρ' σκαπάνη θεὸς ἴδμεν, οὔτ' ἀροῦρα,
Οὔτ' ἄλλως τι σοφόν.

Eum nec foſſoré Deus ſtatueret, nec aratorem, nec aliàs quid ingenioſum.

Præclarum eſt ſanè in Eccleſia Epiſcopum fieri, præclarum eſt etiam in Academia (quæ Eccleſiæ eſt filia) Doctorẽ creari. Laboris magni eſt Epiſcopatus, magni etiam laboris Doctoratus. Epiſcopus non debet eſſe niſi διδακτικὸς, Doctor non poteſt eſſe niſi ſit διδακτικὸς. Interim taceo quàm multi ſint Epiſcopi, & iam ante fuerint ad dicendum inepti; Doctores verò eſſe non poſſunt in Academiis noſtris, niſi qui docti & apti ad docendum ſint. Epiſcopatus eſt (teſte Apoſtolo) καλὸν ἔργον; at ſi idem iam viveret Apoſtolus, non pu-

1. Tim. 3. a.

Ibidem.

to eum velle rejicere Doctoratum tanquam κρεῖττον ἔγχος. At Doctoratus minor est Episcopatu : at Episcopatum clariorem facit Doctoratus; ex quo liquet gradum Doctoris honorem esse Præsule non indignum. Bona minora maioribus adiuncta efficiunt persæpe maiora bona, sane præclariora, honoratiora, & magis optibilia, secundùm illud Affirmatũ Dialecticum; *Tale additum tali, efficit ipsum magis tale.* Aliter Alexander ille Magnus, quo nemo per totum fere terrarũ orbem fuit illo tempore vel genere nobilior, vel victoriis illustrior, vel Imperii amplitudine clarior, vel literis doctior, ius civitatis Corinthii sibi à legatis eius loci delatum nũquam accipisset. Aliter Reges, Principes, Comites & Barones (qui nunc in Europa florent, & Patrum nostrorum memoriâ floruerũt, quibusq; nullũ hominũ genus clarius est, siue spectemus natalitium splendorem, siue gloriæ amplitudinem, siue opum magnitudinem) gradus Magistrorum in artibus in Academia nunquam susciperent, aut ordinem Sancti Georgii, ordinem Sancti Michaëlis, ordinem Aurei velleris assumerent, vt illorum ordinum ritus, consuetudines, instituta, decreta perpetuò observarent. Huc accedit etiam, quòd ad Episcopatum homines sæpe aliis artibus soleant pervenire quàm ad Doctoratum. Episcopi hodie habent (cùm ad suum munus provehuntur) Principum commendationem, Canonicorum in suâ ipsorum Ecclesia electionem, Aulicorum quorundam amicitiam & benevolentiam: Doctores verò testimonium habent tantùm hominũ Academicorum, affirmationem Vicecancellarii, consensum Doctorum Theologiæ, Legum, Medicinæ; ψήφισμα Magistrorum Regentium & non Regentium, in domum Convocationis post solennem promulgationem congregatorum. At minima sunt ista (fateor equidem) si conferãtur cũ Principum authoritate, Archiepiscoporum & Episcoporũ dignitate, eorum qui in Aulis Principium serviunt gratia. Interim cùm illa quæ ab Academiis collata sunt (licèt hominum æstimatione minima sint) testimonium tribuant virtutis,

Arist. 3. Top. cap. 3.

tutis, eruditionis, pietatis personæ ipsius qui ad talem gradū promovetur; non est quòd Academiarum studium negligatur, benevolentia spernatur, approbatio despiciatur, aut collatio graduū quos Academiæ in eos qui has dignitates promerentur conferunt, flocci fiat. Hos vero bonos viros (vereor autem ne se derideri putent, dum eos bonorum virorum nomine appellem) qui negant gradus Academicos ministris Evangelii convenire, liceat mihi ita affari. In qua (non dico) vrbe, sed in qua republica, vel in qua Ecclesia vivitis, amici? Num in Mori Vtopia? vel in Platonis Repub.? vel potiùs in Cyclopum Anarchia? vbi (vt inquit Homerus) neq; sunt

---ἀγοραὶ βουληφόροι οὔτε θέμιστες,
Ἦν ἀνέσσι, γλαφυροῖσι θεμιστεύει δ' ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Cõciones cõsiliariæ, neq; iura: In spelũcis autem cavis ius dat vnusquisq; Liberis atque vxoribus, neq; se invicẽ curant. Odyss. 6. Iohannes Iuellus Episc. Sarisb. Iohan. Pers. Archiepisc. Eboracensis Cic. 5. Tuscul.

ἀταξίας & ἀναρχίας huius fundamenta nec ex lege naturæ imbibistis, neq; ex alicuius reipub. sapienter administratæ præceptis didicistis, nec ex Scripturæ sacræ fontibus deliba-stis, neq; ex Ecclesiæ alicuius consuetudine confirmare potestis. At hęc opinio vobis non placet. At placuit huius sedis olim Episcopo Iohanni Iuello, Pontificiarum superstitionũ *malleo*: at hæc opinio placuit Iohanni Persio & Episcopo & Archiepiscopo, ex cujus ore (dum verbum Dei tractaret in concione sacrâ) melle dulcior oratio fluxit, & in quo Iurisconsultorum memoria enituit; quorum ego judicia (pace vestrâ dixerim) longe antepono vestris, qui & Episcopi Reverendi admodum fuerunt, & docti fuerunt, & Doctores in Theologia fuerunt, & graduni Doctoratus Theologici sibi magno fuisse ornamento existimaverunt. Hic enim gradū hunc accepit priusquam Episcopalem cathedram ascendisdisset, ille huic gradui inauguratus fuit, postquam per annos aliquot in Episcopatu administrando fœliciter laborâsset.

Hîc verò & locus, & tempus, & rei gerendę occasio mihi vt ad creationem descendam insusurrat. Cùm verò creatio ex applicatione visionis Prophetæ magnâ ex parte cõstet, historia visionis me ad se revocat. In visione autẽ tria instru-

to meo ſerviebāt, 1. Increpatio, 2. Præceptio, 3. Admonitio.

Zac. 3. Dominus Deus adverſarios tuos increpatione (Pater Reverende) ſemper redarguat, & vnumquēq; qui vel tibi, vel Eccleſiæ quæ tuæ fidei concredita eſt, vel Eccleſiæ Dei quæ per Chriſti gratiam floret in Anglia malè velit, redarguat, convertat, vel confundat.

Præceptio complectitur quid Deus in mandatis Seraphinis dederat: hoc autem erat, vt veſtes Pontifici mutarent, vt cidarin mundam capiti ipſius imponerent. Cùm eſſes artium Magiſter, & his artibus effloreſceres quibus illa ætas informari ſolet, *ſerico & biſſo* te Academia pro ſua gloria, pro tuo merito veſtiebat; nunc verò te *dibapho* tegi, ſiue *purpureâ togâ* ornari vult, & pedes tuos *ocreis* muniri eadē præcepit Academia. Præcepit etiā vt tibi in manū *Vitæ æternæ librū* darē, vt digitum minimo in ſiniſtra manu proximum *aureo annulo* ornarē, vt caput *pileo* tegerē, vt hęc inſignia ex legum noſtrarū inſtitutis per multos annos in Academia jam antea

Hieron. vſurpata vnà cum *oſculo* tibi darem. Hieronymus olim dixit de veſte Sacerdotali ſcribens ad Fabiolam, quòd *tanta debet eſſe ſcientia & eruditio Pontificis Dei, vt & greſſus eius, & motus, & vniverſa vocalia ſint; veritatem mente concipiat, & tota eā habitu reſonet & ornatu. Vt quicquid agat, quicquid loquatur, ſit doctrina populorū: abſq; tinnabulis enim, et diverſis coloribus, & gemmis, floribuſq; virtutum, nec ſancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere.*

Si fas ſit nobis parva noſtra magnis his quodāmodo componere, liceat mihi ex habitu hoc te paucis hortari; ſingula enim iſta ſuum ſenſum & ſignificationem habent, & (vt B. Hieronymi verbis vtar) *ſunt vocalia*. *Purpurea* hæc *veſtis* te admoneat, quali veſte Chriſtus bellū gerat; veſte ſanè ſan-

Apoc. 19. 13. guine pertinctâ, vt ex Apocalypſi demonſtretur. *Ocreis* pedes & tibiæ tibi muniantur, vt ex hoc diſcas minimas offenſiunculas vitari debere ab Epiſcopo, & Theologiæ Doctore. *Librum* tibi in manus dedi *ſacrum, ſignatum, propheticum, perfectum: ſacrum*, vt ex eo intelligeres reverenter à te ſcriptu-

turam θεόπνευστον tractari debere: *signatum*, vt Agnum qui est de tribu Iudæ orares, vt ipse eum tibi aperiat: *propheticum*, vt ex eo scires, omnia quæ sunt in Novo fœdere, in Lege & Prophetis adumbrata & prædicta fuisse: *perfectum*, vtpote qui ad vitam æternam per se sufficiat. *Annulo* digitum induo, & caput *pileo*, vt ex his symbolis discas, officij tui esse animas eorum qui in Deum credunt ipsi despondere, & gregi tibi commisso Christi Evangelium (qui nos à morte liberavit, & qui libertate filiorum Dei nos donavit) annuntiare. *Osculum* deinde sanctum labris tuis infigo, vt ex eo videas osculum sanctum, [a] φίλημα ἅγιον Dei Opt. Max. filjs suis pacem & omnes charitatis cœlestis opes adferre. His ita perfectis; PRONVNTIO TE IN THEOLOGIA DOCTOREM, ESSE, ET ACADEMIAE OXONIENSIS DOCTOREM: orans vt det tibi Deus præmium Doctoris in cœlesti Hierosolyma.

2. Tim. 3.16.

[a] 1. Rom. 16. 16. Iustin. Mart. in Apol. pro Christian. 2.

Admonitio clausula sit nostræ hoc tempore orationis. Angelus Domini ita contestabatur Iehosuam dicens; *hæc dicit Dominus exercituum: si in vijs meis ambulaveris, & custodiam meam custodieris, tu quoq; iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc hîc assistunt.* Vel vt Targum Ionathæ legit, *Si per vias quæ mihi recta videntur perrexeris, & si observationem verbi mei custodieris, tu quidem iudicabis eos qui in domo Sanctuarij mei ministrant, & præterea servabis atria mea, & in mortuorum resurrectione resuscitabo te, pedesq; veloces inter Seraphim istos ambulantes tibi donabo.* Ita olim alloquutus est Iehosuam (Reverende Pater) Angelus Domini. Ego verò cùm hoc mihi ab initio exemplum proposuerim, liceat mihi (tuâ bonâ cum veniâ) sic te affari, & ijsdem ferè verbis affari. *Si tu* (Reverende Episcope) *in viis Domini ambulaveis, & custodiam Domini custodieris,* משמר השמר יהוה, *si per vias, qua vidētur Domino recta perrexeris, si observationē verbi ſui custodieris, tu diu indicabis eos qui Deo in Diœcesi Sarisburiensis Ecclesia ministrant. Diu in atrijs his & honorificè vives, in mortuorū*

resurrectione resuscitabit te Dominus, & dabit tibi pedes veloces, vt ambules inter suos Seraphinos, dabit (dico) tibi Deus ἀμαράντινον *&* ἄξυπνον στέφανον, *cùm Filius suus Christus Iesus in nubibus cœli venerit ad iudicandum vivos & mortuos.* Cui cum Patre & Spiritu sancto sit omnis potestas, honor, & gloria, in omnem æternitatem

Amen.

1. Pet. Immarcescibilem gloriæ cotonam.